

*nobis;*¹ idem coepit esse etiam Filius hominis qui in principio erat apud Patrem Filius Dei, utique Deus Verbum.

781 Omnia ergo quaecumque in hac duplice substantia constitutus, vel locutus est, vel fecit, vel pertulit Christus, nunc omnipotentem Dei naturam, nunc infirmam suscepti hominis demonstrabant. Nativitas carnis hominem monstrat; Deum probat inusitatus Virginis partus.

782 Nam qui prius in imagine, de aqua vinum fecit, cum diceret beatissimae Mariae: *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea;*² ipse post horam Passionis suae, veritatem praemissi aenigmatis eatenus consummavit, ut sane incarnationis aqua vinum fieret Deitatis; quod haeretici adulterantes verbum Dei, adhuc velut aquam vino permiscent, cum totus Dominus Iesus, et quod ex Deo Patre est, et quod ex Virgine matre est, Deus sit unigenitus in gloria Dei Patris: quoniam quidem Deus diminutus non est in homine, sed homo proficit in Deum; ut sicut *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis;*³ ita caro Deus fieret, et habitaret in celis.

PL
20, 983PL
20, 990

S. NICETAS Remesianensis⁴ (ca 375 † post 414)

DE SPIRITU SANCTI POTENTIA

783 5. [...] Audeo dicere, templum ipsum Domini, id est corpus quod accepit ex Virgine, certe ipso Spiritu instructum est. Et dixit Gabriel angelus ad Mariam: *Spiritus sanctus veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit te; ideoque quod nasceretur ex te, de Spiritu sancto est.*⁵

PL
52, 856

EXPLANATIO SYMBOLI

784 3. [...] [Christus Iesus...] propter nostram salutem descendit a Patre de celis, et simile nobis corpus accepit. Natus ex Spiritu sancto, et Virgine Maria sine ulla viri operatione: corpus ex corpore Spiritus sancti virtute, generatum est; manens Deus, homo factus est, ut hominibus et visui et doctrinae saluti esse posset; quia aliter

PL
52, 868

¹ Io. I, 14.

² Io. II, 4.

³ Io. I, 14.

⁴ De Niceta cf. Al 406; PLS III, 188.

⁵ Lc. I, 35.

• PL 20, 867, 898, 929, 985, 988, 989, 994.

divinitas ab hominibus sustineri non poterat nisi corporis assumptione visibilis.

4. Natus ergo ex sancta et incontaminata Virgine, ut sanctae nativitatis nobis praestaret initium. Natus est, secundum quod ante dictum fuerat per prophetam: *Ecce virgo in utero concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel: quod est interpretatum, Nobiscum Deus.*¹ Crede ergo, hunc, qui ex Virgine natus est, nobiscum esse Deum; Deum ante saecula de Patre: hominem ex Virgine propter homines.

S. HIERONYMUS, EUSEBIUS (ca 347 † 419/420)

DE PERPETUA VIRGINITATE B. MARIAE ADVERSUS HELVIDIUM (383)

PL 23, 183 1. Nuper rogatus a fratribus, ut aduersus libellum cuiusdam 785
(1933) Helvidii responderem, facere distuli: non quod difficile fuerit, hominem rusticum, et vix primis quoque imbutum litteris, super veri assertione convincere: sed ne respondendo dignus fieret, qui vinceretur. Hue accedebat quod homo turbulentus, et solus in universo mundo sibi et laicus et sacerdos (qui ut ait ille, loquacitatem

*184 facundiam existimat [al. existimet], et maledicere omnibus, *bonae conscientiae signum arbitratur) accepta materia disputandi, amplius inciperet blasphemare, et quasi de sublimi loco in totum orbem ferre sententiam: neque quia veritate non posset, laceraret [al. lacerare] conviciis. Verum quia hae omnes tam iustae silentii mei causae, ob scandalum fratrum, qui ad eius rabiem movebantur, iustiori fine cessarunt, iam ad radices infructuosae arboris Evangelii securis est admovenda,² et cum infecunditate *foliorum tradenda flammis, ut discat aliquando reticere, qui nunquam didicit loqui.

185 (*194)

2. Igitur sanctus mihi invocandus est Spiritus, ut beatae Mariae virginitatem suo sensu, ore meo defendat. Invocandus est Dominus Iesus, ut sacri ventris hospitium, cuius decem mensibus inhabitator fuit, ab omni concubitus suspicione tueatur. Ipse quoque Deus Pater est imprecandus, ut matrem Filii sui, virginem ostendat fuisse post partum, quae fuit mater antequam nupta. Non campum rhetorici desideramus eloquii, non dialecticorum tendieulas, nec Aristotelis spineta conquirimus: ipsa Scripturarum verba ponenda

¹ Isa. VII, 14; Matth. I, 23.

² Matth. III, 10.